



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

218 Quidsi consenserit Abbas in mutuam Priorum commigrationem, an
hæc permutatio sit an translatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

quenter permutari. Neganda est consecutio; quia non, ut mors hominis est certissima, consulatus incertissimus, ita quoque impetratio prioratus perpetui certissima est, immò incertissima; tantoque incertior quanto contra naturam talis Prioratus insolentior: adeò ut impetratio talis ut plurimum pro falsa habeatur in iis qui Prioratibus illis à proprio sunt Abbate præfecti cap. porrecta. de confirm. vtil. vel inutil. propter odium nempe facti prorsus illiberalis istorum qui contra proprios Prælatos à quibus promoti sunt indignissimè cristas erigunt & obedientiam solenniter votam superbè excutere moluntur aduersus illos quibus ipsimet omnia sua debent accepta referre. Quibus accedit, quòd indebiti conditio summè sit fauorabilis propter æquitatem naturalem liberationibus magis propiciam & addictam, tùm etiam ne quis post enervatam obligationem, qua tenebatur, indebitè soluens afficiatur damnis; at permutatio functionum seu administrationum vel dignitatum vel præbendarum Ecclesiasticarum cum semper aliàs est odiosa tum præcipuè temporariis atque manualibus istis in beneficiis vel potius administrationibus odiosissima ne dicam flagitiosissima. Sanè si consenserit Abbas in duorum talium priorum commutationem, ut scilicet alter in alterius hinc inde migret locum, non tamen permutatio propriè dicetur hæc mutua vel commigratio vel commutatio, sed mera translatio.

verum

217

*Impetratio
permutatis in
prioratu o-
bedientiali,
pro falsa ha-
betur.*

218

*Quid si consen-
serit Abbas
in mutua
Priorum com-
migrationem
an hæc permu-
tatio sit an
Translatio?*

verum, quid refert, inquis, an per modum permutationis an verò per modum translationis alter in alterius locum succedat? Plurimum refert; quia permutatio fit in formam contractus ex commercio partium, quod in rebus huiusmodi non propriis fieri nequit per viam permutationis quæ solis in rebus propriis vel quasi propriis habet locum, sicut hic est videre; sed Translatio solius fit voluntate factoque superioris transferentis, idque siue translatus ipse petierit hoc ipsum siue non petierit. c. j. totoque titulo de Translat. Episc. Deinde per viam permutationis nihil iuris novi transit in permutantes præter hoc ipsum videlicet solum ius quod ipsimet permutantes hinc inde prius habebant siue bonum & firmum siue non bonum neque firmum, sicuti paulò superius monebatur; sed per viam translationis novum planè ius & peculiare nec aliunde dependens per transferentem confertur quod sola nititur translatione non autem iure vllò quod hi translati antea habebant, perinde scilicet atque si nullos antehac Prioratus habuissent; cum alter alteri per translationem nihil cedat nec alter ab altero quidquam accipiat, contrà quam fiat in permutatione.

Ait Pont. *beneficia*. Latissimè sumenda videtur hic Ecclesiastici beneficij vox, iuxta cap. penult. de verb. signif. qua de re Glossographus ad c. 1. j. de Reg. iur. dummodò non ignoremus de sola nos loqui adsignatione in
h v titulum

219
*Beneficiorum
nomine quid
intelligatur.*